



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 46. Querelæ de Religiosis Mendicantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

Sæcul. XIII.
A. C. 1246.

§. XLVI.

Querimonice de Religiosis Mendicantibus.

p. 607.

Religiosi Mendicantes se antiquis monachis & sacerdotibus religiosa lege solutis odiosos reddebant, dum nimis extendebant privilegia Summorum Pontificum Episcopis præcipientium, ut illos ad Verbi divini ministerium & ad poenitentiae Sacramenti administrationem admitterent. Memorati Fratres exigebant, ut hæc privilegia palam in Ecclesiis legerentur, & obvios sibi, etiam Religiosos interrogabant: *Sacram confessionem fecisti? Ita, respondebant illi. Cui? Parocho meo. Est vir indoctus; non Theologia, non Juri Canonico unquam studuit. Vini ad nos, qui lepram a lepra distinguere scimus, & magnam potestatem, grandia*

p. 608.

*privilegia, quæ vides, accepimus! Hinc multi homines profani, præsertim nobiles eorumque uxores spretis Parochis ac Præpositis suis apud Fratres Prædicatores noxarum conscientiam deonerabant: & Superiores hunc sui contemptum ægerime ferebant. Parochiani peccabant audacius, Parochis reddendæ rationis metu nullo coerciti, alique aliis dicebant: *Libere indulgeamus genio, crimina nostra haud ægre detecturi cuidam horum Fratrum**

Fratrum Prædicatorum Minorumve, qui a Sæcul. XIII.
pud nos transibunt, & quos nec vidimus A.C. 1246.
unquam nec postea videbimus. In templum

S. Albani, ubi Archidiaconus ex more suam synodum habebat, aliqui Fratres Prædicatores venerant, quorum unus imperiosa voce silentium petebat, ut sua concio audiretur. Sed Archidiaconus eum repressit, hunc agendi modum appellans novitatem, dicensque, se insistere veteri consuetudini, per quam suo quisque Sacerdoti Christiano ritu aperire se debeat: quod ut probaret, concilii Lateranensis sub Innocentio tertio an. 1215 celebrati canonem recitavit.

§. XLVII.

Collegium Cisterciensium.

Præterea Religiosi Mendicantes despiciantur habebant monachos tanquam rudes: quod etiam Doctores profani, præcipue Leguleji, & Juris Canonici Professores faciebant. Ab hac vituperatione tutum se redditurus Stephanus Lexintonius Abbas Clarævallensis, Parisiis doctum condere statuit, ubi monachi Cistercienses scientiis operam navarent. Erat Anglus e nobili & jam tum per insigni profapia, habebatque tres fratres præclaris fungentes muneribus, inter alios Henricum, postea Episcopum Lincol-

Matth. Par. an. 1249. p. 665. Duboulaï to. 3. p. 184. Dubois to. 2. p. 436.

